Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 969
Quelle:
Copyright:

P. I. *Annal. Reg. Hung.* L. IV. p. 387. vulgato videatur res inter minas conſtitiſſe, videlicet, ſi Vaivoda antiquam Coronam reddere pernegaret. Ceterum totum hoc negotium inclitus ille Annalium Scriptor loco *cit.* graviter, ut ſolet, et eleganter enarrat.

III. *fol.* V. p. 2. ſequitur *Dionyſius de eccleſiaſtica Jerarchia* praecedente obſcuro illo Epigrammate, de quo mentem meam aperui *Vol.* I. P. 1. *col.* 683. ubi hoc Opus ex eadem *Joh. Erigenae* Verſione retuli. Epigramma infit: *Simbola diuinorum mirabilium* &c. Opus ipſum: *Quia quidem ſecundum nos* &c. Exemplum praeſens integrum quidem, ſed minus caſtigate ſcriptum eſt.

IV. *fol.* 33. *Dionyſius de diuinis nominibus* praevio pariter Epigrammate illo: *In animum ſplendor* &c. Operis initium: *Nunc autem o beate* &c. ut *Vol.* mox. citato; ſed in verbis *Cap.* X. *et non ſinens ea cadentia ut ex perfectiſſima refectionem* — — quae graece ſunt: ὡς ἐκ παντελους ἑστιας κινουμενα παραπολεσθαι abrumpitur.

V. *fol.* 57. Commentarius logicus in *Ariſtotelis Categorias* per duas columnas Sec. XIV. minute currente calamo multis compendiis exaratus, cujus initium: *Forma eſt compoſitioni contingens. Objectum huius libri eſt. Accidens determinatur in genere adveniens extrinſecus* &c. Fine truncatus.

VI. *fol.* 66. *Summa*, ut in calce adpellatur, *de proceſſu judicii.* Init manu Sec. XIV. *Antequam dicatur de proceſſu iudicii notandum eſt quid ſit iudicium* &c. ut *Vol.* I. P. 2. *col.* 1278. ubi Libellum hunc ἀνωνυμον jam retuli. Hic ad calcem Verſiculis hiulcis 18. commendatur, quorum initium:

Finis ineſt operi ſcriptor te redde quieti &c.

Veſtitur Codex interne fragmentis Decretorum liturgicorum *Domus karthuſie*, incertum, an *Magnae*, an alterius cujusdam.

CCCCXIX.

R. 3265 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 254. f. luculente et probe ſcriptus, rubricis enotatus, et, ut e quodam veſtigio *fol. ult.* p. 2. adparet, olim *Sitticenſis* in *Carniolia* Coenobii Ord. *Ciſt.* ita praefignatur: *Incipit Liber Primus domni Bernhardi Clareuallenſis abbatis De conſideratione. ſcriptus ad Eugenium Papam.* Nempe: *Subit animum dictare aliquid* &c. ut Edit. *Maur. Pariſ.* 1690. T. II. *col.* 407. Textus absque diviſione in Capita integer atque caſtigatus eſt; neque id mirum, cum fortaſſis ante Autoris beati annum emortualem 1153. jam deſcriptus ſit.

II. *fol.* 39. p. 2. ἀνεπιγραφως Tractatus Ejusdem *de diligendo Deo* ſequitur: *Viro illuſtri domno americo eccleſie romanae diacono cardinali & cancellario. B. abbas dictus de claraualle domino uiuere et in domino mori. Orationes a me et*